



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Horologium Spirituale Scholasticorum Societatis Jesu

Dirckinck, Johann

[Osnabrugi, 1696

Orandi ad horæ sonum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55025)

eo conformando, te eidem Spiritu conjun-
ge, & aspira :

Credo in te, ô suprema Veritas!

Spero in te, ô aeterna Felicitas!

Amo te, ô infinita Bonitas!

Adoro te, ô immensa Majestas!

Gratias ago, ô summa Liberalitas!

Subjunge oratiunculam S. Ignatio fami-
liarem : Anima Christi sanctifica me. Et
ex consilio S. Xaverii, orationem pro con-
versione infidelium : Aeternae rerum om-
nium effector Deus. L. 2. ep. nov.

VII. Sub benedictione Sacerdotis, tan-
quam ab ipso Christo, in caelum conscen-
dente benedictionem accipe. Et sub Evan-
gelio S. Joannis pro incarnationis benefi-
cio gratias age, cor tuum ad Christum re-
cipiendum offer, lumen à Luce Mundi pe-
te, & gloriam ejus, quasi Unigeniti à Pa-
tre te aliquando visurum spera.

HORA VI.

Praxis orandi ad horæ sonum.

I. **R** Ecita salutationem angelicam. 2.
More S. Ignatii & S. Caroli Bor-
romei, reflecte ad labeculas horâ illâ elapsa
con-

contractas, & breviter dolorem elice, cum Publicano dicens: Deus propitius esto mihi peccatori! 3. Precare horam felicem vivis: Omnipotens faustam donet mortalibus horam! 4. Precare requiem defunctis: Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace! 5. Renova affectum examinis particularis. Si sit de vitio aut defectu, renova propositum emendationis, excita odium vitii, pete gratiam emendandi. Si verò sit de virtute, elice unum vel plures actus. Atque hæc quinque puncta sufficiunt. Nonnulli tamen etiam, cum P. Carrassa & S. Borgia, ex mysteriis passionis Dominicæ in horas diei distributas, unum ordine recolunt: alii cum P. Mauritio de Büren ex SS. Patronis in horas diei ordinatis unum colunt, gratiamque horam illam utiliter transigendi postulant.

Perfectior & recollectior addere poterit sequentia ex P. Lancicio, quæ præcipuos ad Deum & divina affectus comprehendunt.

1. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula. 2. Expurga nos omnipotens & misericors Deus ab omnibus cul-
pis,

pis, pœnis & peccatorū reliquiis. 3. Converte quàm plurimos à vita impia ad piam, & à pia ad apicem perfectionis. 4. Fac nos, mi Deus vivere & mori ad amussim perfectissimæ sanctitatis. 5. Ad laudem & gloriam tuam, dirigantur omnia nostra verba, cogitationes & opera in odorem suavitatis. 6. Agimus tibi gratias, misericors Deus, pro omnibus beneficiis tuis, manifestis & occultis. 7. Domine miserere omnibus preces meas desiderantibus, præsertim amicis. 8. Omnes sancti & sanctę Dei intercedite pro nobis. Adjuva nos, omnipotens Deus, in omnibus necessitatibus animæ & corporis. 10. Et benedictio tua ✠ sit super nos semper, præsertim in hora mortis!

Hęc prima specie videntur multa, sed qui bene tenet memoria, & habitum nonnullum contraxit, celerrime, sine jactura temporis, ea pronuntiat, præsertim si sit solus. Ut constat experientiã.

Omnibus salutationem angelicam ad horę sonū recitantibus, Urbanus IV. indulgentiam 30. dierum concessit, quem Joannes XXII. confirmavit & duplicavit: Leo X. autem, indulgentiam mille dierum tribuit, & Paulus V. stabilivit.

PRA-

Non clamor sed amor regnat in aure Dei



Henr. cause sculp.

Septies in die laudem dixi tibi, psal: 118.